



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

21. Dies Aprilis. Non amas in inimico, quod est; sed quod vis, ut sit.
Sanctus Augustinus Tractat. 1. in epist. Sanctio Ioan.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Aprilis.

Tessera.

301

odii rectè usurpandi artem ab Augustino: (a) *Opor-*
et, ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei.

Hanc igitur altè animo reconde sententiam:

Proximi amans odium, te reddit caelo odiosum.

21. DIES APRILIS.

Non amas in inimico, quod est; sed quod
vis, ut sit. *Sanctus Augustinus Tractat. 1.*
in epist. Sancti Ioan.

Inimicitia. I.

EX odio, dum inter duos est re-
ciprocum, nascitur, velut ex pes-
simo ovo, pessimus pullus, Inim-
icitia. Hanc quisquis in animo
diu fovet, proximus exitio. Quia illi, quibus ita
ocalluit vitium odii, ut nunquam velint deponere
inimicitias, semper volunt odisse inimicum, nun-
quam sepelire offensas, nunquam ignoscere offen-
denti, & parcere offenso, semper vindictas spirare,
donec ferè expirent: qui sunt tam immisericores,
non est, quod in novissima hora sperent misericor-
diam, est quod timeant Justitiam. Nimis est arduam,
& ideò rarum, ubi per omnem vitam aeternis homo
assuevit odiis; tunc cum desinendum est vivere, de-
sinere odisse: tunc simul, & semel simultates pone-
re, malevolentiam abjicere, & redire cum eo in gra-
tiam, quem paulò antè diris omnibus, diro animo
devovisti, illum admittere in amicitiam, quem antea
morti destinasti victimam: tunc, cum ipse morti ca-
dis victima. Difficile erit eo articulo exulceratam

men-

(a) *Tr. 12, in Ioan.*

mentem, & privatae ultionis desiderium exuere, qui hanc artem nunquam didicit, imò nec discere voluit, etiam iustus, & quidem cum interminatione mortis aeternae. Est hæc, sæculi hujus corruptela, ut quisque in sua causa velit esse Judex, imò & vindex: eumque qui offendit, qui nocuit, etiam qui videtur nocere voluisse, ad privatam tribunal raptum, ex præcipitato vetitæ ultionis imperio condemnare, fuore non semel in vulnera, ac cædes erumpente.

II. Ulteriùs progreditur odium. Non pudet homines (placidissimum naturæ genus) efferari in rabiem, & verbum asperius, ascribiorem risum, leviozem sannam, alterno sanguine expiare. Gratiofissimum passim est spectaculum homini, mors hominis. Quanta verò mala oriuntur ex hoc fonte, ostendunt tot tristes exitus, funestæ tragœdiæ, lamentabiles catastrophe. Multos enim perdidit ira, quam temporis diurnitas fovit: inimicitia cum figunt radices, sunt implacabiles. Atque, ut gratia deflexus facilis: ita odii ad gratiam difficilis consuevit esse transitus: præsertim in morte, si per omnem antea vitam, roboratus est vindicandi affectus: neque docta mens offensa, per usum ignoscentiæ, mitigari offendentibus. Quapropter nemo sibi laqueum ponat sub ea fiducia, quasi vindictam omnem, tum animo suo velit excludere; tum cum offendentibus reconciliationem admittere; tum injurias aeternam oblivione delere; tum condonare alienos errores, quando cum morte erit abeundum hinc, neque amplius erit ulciscendo occasio. Hæc persuasio, est dæmonis manifesta illusio. Semper mala est doctrix vitiorum, consuetudo; maximè per multos
vita

Aprilis.

Tessera.

303

vitæ annos roborata. Si tunc nolis de inimico vindictam sumere, quando debes hanc vitam deserere; non tu vindicandi cupiditatem, sed te illa cupiditas deserit.

III. Quomodò, qui charitatem proximo nunquam exhibuit, ad Deum, qui Charitas est, præsumet accedere. Justus hic metus, omnes illos debet invadere, quibus mos est, post injuriam coquere longas iras, nutrire in senium inimicitias, æternas vindictas meditari. O! quot, quantosque mortales, hoc unum in morte sua perdidit, voluisse diu alios perdere, assuevisse per omnem vitam gravibus odiis, nec didicisse ignoscere. Leonibus manum innoxie magister insertat; tygrim custos suus osculatur; Elephantem minimus Æthyops jubet subdere in genua, & ambulare per funem. Nimirum, fallacia sunt imperia cicuratis jam feris. Nos, si per omnem vitam domuerimus brutos, & ferinos affectus iracundiæ, odiorum ultiones; nihil morientibus turbabit præteritarum memoria injuriarum: erit ab ea parte, quâ plurimi tam intricantur, nobis via libera, & expedita ad cælum. Claudio cum D. Augustino, auctore hodiernæ tessera: *Opta inimico, ut habeat tecum vitam æternam. Opta illi, ut sit frater tuus. Non enim amas in illo, quod est; sed quod vis, ut sit: vis enim ut sit bonus; ama in eo bonitatem. Denique:*

Nullum habet inimicum. Et erit tibi Numen amicum.

22. DIES